

OLIGOBIELLA, NOVUM GENUS CAPSIDARUM.

DESCRIPSIT O. M. REUTER.

Corpus feminae (mas ignotus) rotundatum, convexum; capite magno et lato, cum oculis levissime transverso, sub-triangulari, ante oculos sensim acuminato, a basi versus apicem sensim leviter sed distinctissime declivi, clypeo angusto, depresso, cum fronte confluente, basi infra lineam inter bases antennarum ductam posita, vertice medio longitudinaliter sub-impresso, utrinque ad oculum foveola obliqua notato, margine postico leviter arcuato; oculis oblique positis; rostro coxas posticas attingente, crasso, articulo primo medium oculorum attingente, secundo et tertio longitudine aequalibus, quarto brevi, acuminato; antennis mox infra apicem oculorum nonnihil interne insertis, articulo primo apicem capitis paullulum superante, secundo latitudine capitis interoculari vix longiore, duobus ultimis conjunctis duobus primis simul aequae longis; pronoto brevi, late trapeziformi, valde transverso, capite fere $\frac{1}{3}$ breviore et apice capiti latitudine aequali, strictura apicali tenuissima, depressa, lateribus rectis, basi tota truncata, disco sub-plano vel levissime convexiusculo, callo utrinque sat magno sed parum elevato; scutello pronoto sat multo breviore; hemelytris totis coriaceis, abdomen totum tegentibus, lateribus late rotundatis, margine tenuissime reflexo; axypo prosterni transverso triangulari, disco angulato-impresso; abdomine sub-orbiculari, terebra feminæ medium attingente; coxis anterioribus longis, crassis, anticis basin intermediarum sub-superantibus; pedibus brevibus, femoribus crassis, posticis valde dilatatis, margine antico fortiter convexis, saltatoriis, latitudine vix duplo longioribus, tibiis anticis femoribus fere brevioribus, posterioribus nigro-spinulosis, maculatis, tarsis anticis articulo secundo primo breviore; tertio primo aequae longo, posticis articulo tertio secundo paullulum longiore; unguiculis apice curvatis, aroliis latis unguiculis paullo brevioribus, cum iis connexis, solum apice libero.

Genus valde insigne, novam divisionem verisimiliter condens, primo aspectu generi *Myrmecobia*, Baer.; sub-familia *Microphysina*; familiae *Anthocoridae*; nonnihil similis, ocellis nullis, capite antice sensim acuminato, clypeo aliter constructo, rostri quadriarticulati articulo primo longo, elongato (ut in *Capsidis*), coxis anterioribus longis, femoribus posticis saltatoriis, tibiis maculatis, tarsis distincte triarticulatis, unguiculis aroliis magnis instructis, structuraque segmentorum genitalium feminæ (ut in *Capsidis*) longe divergens. Sine dubio species *Capsidarum*, quamvis a D^o. Dr^e. F. Buchanan White ut generis *Myrmecobia* species descripta.